



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

68. Imperator Constantinus Magnus leges pro honore et immuitate sacerdotum sanciuuit, annonam illis suppeditauit ignominiam illoru[m] suo paludamento se obtecturum aiebat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

que inconcussa, & à nullo prorsus imminura præstari, liberalitatiq̄ue huic promptissimæ perpetuam tribuimus firmitatem.

Theodoretus lib. 1. cap 2 et 11. Ecclesiast. histor.

Imperat. Constantinus Magnus leges pro honore & immunitate sacerdotum sanctuit, annonam illis suppeditauit ignominiam illorum suo paludamento se obiecturum, aiebat.

CAP. LXVIII.

Constantinus Impe. dedit prouincijs & gentibus mandatum, vt sacerdotes honore afficerent: illis autem, qui eosdem contumelijs insectari aggredierentur, exitium minatus est. Postmodum Episcopos Nicœni Concilij magnifico epulo excepit, cumq̄ue inter illos quibusdam videret dexteros oculos effossos, intellexissetq̄ue, quod constantia pro pietate eam cladem illis attulisset, labra vulneribus admouit, pro certo persuasus, osculo se benedictionem inde hausturum esse. Conuiuio tandem peracto, alia dona rursus illis distribuit, quinetiam literas ad prouinciarum præfectos dedit, mandauitq̄ue, vt certus frumenti numerus viduis & his quæ perpetuam seruant virginitatem, quinetiam illis, qui diuinis ministerijs obeundis consecrati sunt, in singulis ciuitatibus, quotannis suppeditaretur, cumq̄ue non tam egentium necessitate, quàm sua ipsius magnificentia mensus est. Erant autem quidam calumniandi studio

flagrantes, qui quosdam episcopos accusabant, & criminationis libellos Imperatori offerebant. Ille istis ante concordiam constitutam acceptis, primum cum eos vinculo constrinxisset, annuloque suo obsignasset, seruari iussit. Deinde libellos in medium adductos, illis ipsis presentibus, igne absumendos curauit, iureiurando adiecto, se ne verbum quidem in illis scriptum perlegisse. Nam sacerdotum, inquit, vitia non sunt populo aperienda, ne ille inde causa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur. Quinetiam eum hoc quoque adiecisse memorant. Si suis oculis episcopum alienæ vxori stuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum suo paludamento se obtecturum, ne facinoris aspectus eos qui idem ipsum cernerent, vlla ex parte læderet. Cum igitur Episcopos ad hunc modum hortatus esset, & sacerdotes Dei tam amplo affectisset honore, singulos ad suum gregem redire mandauit.

Justinian. Imp. in authen. Quomodo oporteat Episcopos et ceteros clericos ad ordinationem perducere collatione i. tit. 6. De sacerdotum dignitate & utilitate in republ. & quales debeant in Episcopos cooptari.

CAP. LXIX.

Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei à superna collata clementia, sacerdotium & imperium, illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis
præsi.